Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1601
Quelle:
Copyright:

Nota praefignis: *D. Colomannus Khellner dedit hunc libellulum Monasterio S. Dorothee anno 1518.* varia complectitur, et I. quidem *Prologum in librum de consolatione theologie* cum Elencho XV. Librorum et ipsis Libris. Scripsit istud Opus ad imitationem *Boethii* F. *Johannes de Tambaco*, seu *Dambach Alsatiae* O. P. primus in Studio generali a *Carolo IV. Pragae* instituto a. 1347. Theologiae Lector, et demum a. 1372. *Friburgi Brisgoiae*, ut videtur, extinctus. Editio princeps Operis *s. l.* et *a.* sed *Argentinae*, ut puto, circa 1470. f. curata in calce enuntiat, illud a. 1366. *in die Ambrosij* ab Autore consummatum fuisse. Noli vero credere, integrum haberi in praesenti Codice. Tumultuaria solum Defloratio est, id, quod vel verbulo Librarius innuere potuisset. Exemplo sit, Defloratorem non ultra L. XV. C. 9. *Considerationem* 5. processisse, stitisseque in Verbis *Bedae: contra omnes antiqui hostis insidias accingi.*

II. *fol.* 81. p. 2. succedunt *Libri duo* Dialogo inter *Magistrum* et *Discipulum* concepti *de Custodia*, ut solum ad calcem legitur, *Virginitatis.* Incipiunt porro ἀνεπιγραφως: *Semper quidem frater dulcissime ut nosti delectatus sum cum tua dilectione de salubribus materijs confabulari* &c. et Autorem habent *Michaelem* Ord. *Carthus.* Priorem *Gyriacensem* in *Styria*, tum *Agsbacensem* in *Austria* demortuum a. 1401. ut habes *Bibliothecae Ascet. Pezianae* T. II. in quo p. 95. Dialogi nostri comparent, minus recte tamen inter *Magistrum* et *Virginem*, si feminam intelligas.

III. *fol.* 118. p. 2. *Incipitur in sudoris vultus.* Ita indoctus Librarius. Familiaris fuit *Henrico* nostro *de Hassia* Locus ille *Genes.* C. III. v. 19. nam et Tractatum alterum *de Contractibus* ab illo orsus est, et *Sermone* a *Bern. Pezio* in Cod. *Agsbacensi* reperto de eo disseruit, et in *Commentario* suo *in Genesin*, eodem teste e Cod. *Mellicensi*, fuse illum exposuit, quod et Codex a nobis hoc *Vol.* indicatus confirmat. Quidni igitur praesens Dissertatio ex ejus sententiis conflata sit. Orditur illa: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo. In labore graui et assiduo sudores erumpere faciente comedas panem tuum* &c.

IV. *fol.* 129. sequitur Cultus Passionis dominicae per VII. Horas canonicas dispositus, et eadem ratione recoluntur VII. Tristitiae, totidemque Gaudia B. V. Mariae. Praemissa singulis Narratio docet, quam gratus Deo sit hic cultus. Initium est: *Qui ad eternam gloriam beatorum desiderat pervenire* &c. Tractavit idem argumentum supra dictus *Henricus*, sed alia ratione, ut *Vol.* I. retuli, et II. repetii.

DCLXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 226. f. per duas colum- R. 3291